



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum ordo sit sacramentum? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

ponitur hic pro charactere interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum interioris potestatis, & causa: & sic etiam sumitur character in alia definitione. Si tamē pro interiori charactere sumeretur, non esset inconueniens: quia diuisio sacramenti in illa tria, non est in partes integrales, proprie loquendo. Quia illud quod est res tantū, nō est de essentia sacramenti: quod est etiam sacramentum tantum, transit; & sacramentum & res manere dicitur. Unde relinquitur, quod ipse character interior sit essentialiter & principaliter ipsum sacramentum ordinis.

Ad secundum dicendum, quod quamuis in baptismo conferatur aliqua spiritualis potentia recipiendi alia sacramenta, ratione cuius characterem imprimi, non tamen hic est principalis effectus eius: sed absolutio interior, propter quam baptismus fieret, etiam priori causa nō existente. Sed ordo potestatem principaliter importat: & ideo character, qui est spiritualis potestas, in definitione ordinis ponitur; non autem in definitione Baptismi.

*Posita in  
arg. 1.*

Ad tertium dicendum, quod in baptismo datur quaedam potentia spiritualis ad recipiendum, & in quodammodo passiuā. Potestas autem proprie nominat potentiam actiuam cum aliqua preeminencia: & ideo hęc definitio Baptismo non competit.

Ad quartum dicendum, quod nomen ordinis, dupliciter accipitur. Quandoque enim significat ipsam relationem; & sic est tam in inferiori, quam in superiori, ut obiectio tangit, & sic non accipitur hic. Quandoque autem accipitur pro ipso gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit. Et quia ratio ordinis prout est relatio, inuenitur ubi aliquid superius altero occurrit, ideo hic gradus eminens per potestatem spiritualem, ordo nominatur.

137  
Concil.  
Triden.  
sess. 23.  
cap. 3.

ARTIC. III.

*Utrum ordo sit sacramentum?*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod ordo non sit sacramentum. Sacramentum enim

(vt di-

Li. 1. de sacram. p. 9. c. 1. Tho. 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 5. arg. 1. in corp. ad 1. sup. q. 19. artic. 3. argu 2. eius sol. Aug. libr. 83. quæst. 9. 61 tom. 4. lib. 1. retr. c. 26. circa med. to. 1. in tit. Psal. 26. super illud Ps. 149. Exultent in rege suo, to 9. Quæst. 29. arti. 1. cor. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. artic. 1.

(vt dicit Hug\* de sancto Viſt.) est materiale elementum. Sed ordo non nominat aliquid huiusmodi, sed magis relationem, vel potestatem: quia ordo est pars potestatis, secundum Isidor. Ergo non est sacramentum.

¶ 1 Præterea, Sacramenta non sunt de Ecclesia triumphante. Sed ibi est ordo, vt patet in Angelis: Ergo ordo non est sacramentum.

¶ 3 Præterea, Sicut prælatio spiritualis, quæ est ordo, datur cum quadam consecratione, ita & prælatio secularis: quia & reges inunguntur, vt dictum est. Sed regia dignitas non est sacramentum. Ergo nec ordo de quo hic loquimur.

SED contra est, quod ab omnibus enumeratur inter septem Ecclesiæ sacramenta.

¶ Præterea, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed propter ordinem fit homo dispensator aliorum sacramentorum. Ergo ordo habet magis rationem, quod sit sacramentum, quam etiam alia.

RESPONDEO dicendum, quod sacramentum (vt ex dictis\* patet) nihil est aliud, quam quædam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili: vnde cum in susceptione ordinis quadam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamuis ordo in suo nomine non exprimat aliquod materiale elementum, tamen ordo non confertur sine aliquo elemento materiali.

Ad secundum dicendum, quod potestates proportionari debent illis ad quæ sunt: communicatio autem diuinorum, ad quam datur spiritualis potestas, non fit in Angelis per aliqua sensibilia signa, sicut in hominibus contingit. Et ideo potestas spiritualis, quæ est ordo, non adhibetur Angelis cum aliquibus signis visibilibus, sicut hominibus: & ideo in hominibus ordo est sacramentum, sed non in Angelis.

Ad ter-

eo quod potestata in alia sumere- cramenti oppriè lo- de essen tantum, r. Vnde essentia- rdinis. n bapti- recipienti mprimi, sed ab- et, etiam em prin- est spiri- ur\*; non- mo datur m, & in oppriè no- nimenta: etit. rdinis, de- cae ipsam am in su- pcur hic. u, qui or- quia ratio quid supe- as per po- quod ordo m enim (vt di-

Ad tertium dicendum, quod non omnis benedictio, quæ hominibus adhibetur, vel consecratio est sacramentum: quia & monachi & abbates benedicuntur, tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta: & similiter nec regalis inunctio, quia per huiusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem diuinorum sacramentorum, sicut per benedictiones ordinis. Et ideo non est simile.

## ARTIC. IV.

*Vtrum forma huius sacramenti conuenienter exprimatur?*

138] *Dist. 24.  
lib 4. Sentent.*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod forma huius sacramenti inconuenienter in littera exprimatur\*. Quia sacramenta efficaciam habent ex forma. Sed efficacia sacramentorum est ex virtute diuina, quæ in eis secretius operatur salutem. Ergo in forma huius sacramenti deberet fieri mentio de virtute diuina per inuocationem Trinitatis, sicut in alijs sacramentis.

¶ 2 Præterea, Imperare est eius qui habet auctoritatem. Sed auctoritas non residet penes eum qui sacramenta dispensat, sed ministerium tantum. Ergo non deberet uti imperatiuo modo, ut diceret, Agite, vel, accipite hoc vel illud, vel aliquid huiusmodi.

¶ 3 Præterea, In forma sacramenti non debet fieri mentio nisi de illis, quæ sunt de essentia sacramenti. Sed vsus potestatis acceptæ non est de essentia huius sacramenti, sed consequitur ad ipsum. Ergo non deberet de eo fieri mentio in forma huius sacramenti.

¶ 4 Præterea, Omnia sacramenta ordinant ad æternam remunerationem. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de remuneratione. Ergo nec in forma huius sacramenti deberet de ea fieri mentio, sicut fit cum dicitur: *Habiturus parrem, si fideliter, &c.*

R. B.